



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. II. Bulla Clementis Decimi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

posito, ita argui potest: Vel Cruciatæ suffragatur Regularibus, vel non? Si non suffragatur, quomodo PP. Dominicani concessit durare, quinquennio facultatem eligendi Confessorem, qui prætexit Cruciatæ absolveret? Si suffragatur, quomodo Urbanus dicit numquam suffragari potuisse? At levia hæc sunt: tum quia Urbanus definit quidem Cruciatam numquam suffragari potuisse, nec posse; at non definit non posse, si speciali suo novo indulto hoc addere velit privilegium, quo Cruciatæ ex se non gaudet. Tum quia ex eo quod Papa Urbanus dedit eo quinquennio talem facultatem, non fit, quod eam dederit vi Cruciatæ.

§. II.

Bulla Clementis X.

SUMMARIUM.

Clementis X. Bulla, n. 9.

Dōctores, qui eam trahunt, n. 10.

Clementis scopus, n. 11.

Declarat, quod nemo audire possit Moniales sine speciali approbatione, n. 12.

Et quod pro una vice approbatus nequeat secundo vice eas audire, ibid.

Quod Regulares simpliciter approbati sint illimitate approbandi, n. 13.

Et quod possint tempore Paschatis audire Confessiones, etiam infirmorum, monendo se infirmum audisse, n. 14.

Quod nequeant iterum examinari, nisi nova accedat causa, n. 15.

Quod Episcopi nequeant à toto Conventu adimere facultatem confitendi, n. 16.

Quod non revixerint privilegia à Tridentino sublata, n. 17.

Quod potens absolvere à casibus Papa reservatis, non ideo possit à reservatis ab Episcopo, n. 18.

Quod quidquid contra hanc Bullam attentetur erit irritum, n. 19.

CLEMENS EPISCOPUS, &c.

N. 9. **S**uperna Magni Patris Familias præordinatione creditum Nobis universalis Ecclesiæ mysticum Agrum circumspecta providentia custodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) satagentes, animum in eas curas libenter intendimus, quibus valeant diffidia inter villicos, & operarios componi, iurgia tolli, scandalis, atque offensionibus aditus præcludi; ut quibus una fides, una Mater Ecclesia, &

unus Dominus, qui charitas est, & pacis cogitationes, fiat etiam cor unum, atque anima una; sic etenim evulsis oportune zizaniis, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus; quo benedictis messis multa, fructu centesimo, caelestis horreum congregabitur.

Sanè cum Sacri Concilij Tridentini Decretis providè statutum fuerit, ut Regulares cujuscunque Ordinis, nisi à superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopo præsentare, & ab eis benedictionem petere teaneantur, antequam prædicare incipiant; in Ecclesijs vero, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesijs non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Atque ut nullus Sacerdos, si vè Regularis etiam suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare, præsumat. Itemque cum nullus Sacerdos Regularis possit confessiones Sacularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegij, & consuetudine quacunque non obstantibus, innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem, ejusmodi in aliquibus Diocesisbus extitas fuisse, ex quibus controversiæ, & diffensiones præmultæ indiem subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam Religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

Nos attendentes, quod alijs diversis temporibus prædictæ dubitationes, & controversiæ nonnullis Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earumque declarationibus definitæ fuerint; ejusmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magisque diffensionum tollantur semina, & in posterum firmior, in Agro Dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur, Apostolatus officio novis Apostolicis litteris munientes, duximus, & roborandas; itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curie Prælatorum

torum pietate, doctrina, & prudentia præstantium, & matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia hac generali, & perpetuò valitura Constitutione decernimus, & declaramus.

Regulares, qui in Ecclesijs sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diocelano benedictionem petere; prædicare, tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod, si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesijs licere Regularibus prædicare. Eosque contravenientes ab illo tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, censuris, alijsque poenis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. recordi. Gregorij XV. Prædecessoris nostri incipientis, Inscrutabili Dei providentia, coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque iusta, & rationabili causa, contradicere non debere. Et huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratorijs sui Ordinis sermonem coram Populo, vel in Ecclesijs, aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum iurisdictioni subiectarum, licet clausis januis, & nullus Sæcularis ibi interfuit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos quamvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus laicis nominatos, etiam si Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint quoad doctrinam examinare; si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam prædicandi semel ipsam concessam, ob rationabiles causas licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus quin in Ecclesijs suorum Ordinum prædicent.

Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones Sæcularium in sua Diocesi audiendas approbatos non posse in aliâ Diocesi eas absque Episcopi Diocesani approbatione audire, quamvis Pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati; & generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum Sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum; sed

gere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monaste-

rii, minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterij. Iudemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis huiusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Ceterum in Monasterijs, ac etiam Collegijs, ubi iuxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quam Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum, seu Collegiorum, audire confessiones illorum Sæcularium, qui inibi sunt verè de Familia, & continui Commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diocesi propria admittendos. Quoad ceteros verò, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere. Semel autem simpliciter approbatos posse in Diocesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illico certiore reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pena suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter, approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit, Omnes, utriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censendos. Regulares verò, ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, seu eius autem ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias, illis concessas, revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet.

Pp iij

nec,

neque eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porro si Regulares cum scandalo, aut aliis inhonestis vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabiliter Episcopi iudicio videantur à confessionibus suspendendi, in quò ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad confessionibus ministerium pertinere, ac proinde nihil ob stare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconfulta Sede Apostolica, nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliavè privilegia Regularibus, cuiuscunque Ordinis, instituti, aut Societatis, etiam Jesu, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eisdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere Pœnitentes à censuris quoad externum, & iudiciale forum, & absolutos ab eis in foro pœnitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori iudicio, & contentioso. Quinimò censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiam si à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis privilegijs coram Episcopo, ab eo iudicetur ipsa non suffragari casui, de

quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obicula sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cõpõs est cõsiderare, dictorum privilegiorum interpretationem Sedi Apostolicæ iudicio, prout alias Constitutione Prædecessoris nostri fel. record. Clementis IV. statutum fuit esse requirendam. Idem non minus vivimus, licet in Decretis sic, & non alias, per quos cumque iudices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate, & dignitate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, Nuntios, & quovis alios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definitur debere. Irritum quoque, & inane quicquid fecus super his à quibuscunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque quorumvis Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum etiam Jesu, & eusculvis alterius instituti, etiam necessariorum, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque tam Sæcularium, quam Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegijs, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine foundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, Consecrationum deputationibus, eorumque, atque aliarum inhibitionibus, quibus Episcopi deferre, minimè teneantur, quibuscunque aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis, & derogatorijs, aliisque efficacioribus, & in solitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, etiam Motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, & de illis, eorumque totis tenoribus, & formis,

formis, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis, quoad ea, quæ eisdem præsentibus ad versantur, alias in suo robore permanentibus, harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ceterùm quia difficile foret præsentibus litteras ad singula quæque loca deferri, ut ea tamen omnibus innotescant, mandamus, illas ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ affigi, & publicari.

Volentes, quòd earumdem præsentium litterarum transcriptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, declarationis, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo, undecimo Kal. Julij. Pontificatus nostri Anno primo.

G. Dat.

I. G. Slusius.

Visa de Curia P. Ciampinus. D. Ciampinus.

N. Inter Clementis X. Bullas septima est, eam trahit Joannes Clericus editus Venetijs anno 1706. in *Erotematis Ecclesiasticis* pag. 434. & paucis demptis, Felix Potestatis editus eodem anno Venetijs in *Examine Confessorum* tom. 1. n. 3290. & Monacelli in *Appendice ad suum Formularium Legale Practicum*, editum Romæ anno 1703. pag. 317.

N. Ait ergo se ex certa scientiâ, & perpetuò valiturâ constitutione decernere, & declarare, (non dicit approbare) se eo fine ad hanc Bullam edendam inductum, ut dubia

& diffensiones Episcopos (idem est de Ordinarijs) inter & Regulares ortas circa jurisdictionem, examen, & approbationem, occasionem privilegiorum Regularibus concessorum, competere, & quidem hanc suâ perpetuò valiturâ constitutione.

Declarat Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad confessiones Sacularium audiendas, nullatenus approbatos esse, ut Monialium sibi subiectarum confessiones audiant; quin approbatos pro uno Monasterio, nequire audire confessiones alterius Monasterij; immò pro unâ vice approbatos, non posse, ea deputatione expleta, vi præteritæ approbationis iterum eas audire; sed toties iterum approbandos, quoties ad eas audiendas deputentur.

Declarat Religiosos, qui ad confessiones audiendas fuerint ab Episcopis reperti generaliter idonei, esse generaliter, & absque ullâ limitatione locorum, temporum, aut personarum, admittendos in eadem Diocesi: si verò non ita generaliter idonei sint, relinquendam iudicio Ordinariorum absolvendi limitationem.

Declarat Regulares semel simpliciter ab Episcopo approbatos, posse etiam tempore Paschali in eadem Diocesi Episcopi approbantis, absque ullâ (seu aliâ) Episcopi, aut Parochi licentiâ confessiones etiam infirmorum audire; ita tamen ut Parochus moneatur de confessione infirmi auditâ. Quòd si Regularis secus egerit, poterit ab Episcopo cogi sub pœnâ suspensionis à confessionibus audiendis.

Declarat Regulares simpliciter absque ullâ limitatione, prævio examine ab Episcopo (non à solo Vicario) approbatos, non posse ab eo Episcopo iterum examinari, aut ab audiendis confessionibus suspendi, nisi nova accedat causa confessiones concernens. Quæ tamen nova causa non est Regulari manifestanda ab Episcopo: satis, si Sedi Apostolicæ, quoties postulaverit, reveletur. Quòd si nova accedat causa integritatem, & honestatem concernens, poterit Episcopus eum Regularem à se alias approbatum à confessionibus audiendis arce.

Declarat nequire Episcopos, inconsultâ Sede Apostolicâ, adimere facultatem audiendi confessiones ab omnibus simul unius conventus Regularibus.

Declarat privilegia ante Tridentinum Regularibus concessa, & à Tridentino sublata, non revivisse: & derogat omnia prorsus privilegia, quæ sunt contra hanc suam constitutionem, etsi titulo oneroso concessa, & specialiter nominanda.

Decla:

N. 18. Declarat, quòd habens licentiam absol-
vendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis,
absolvere nequeat à casibus ab Episcopo re-
servatis.

N. 19. Demum declarat irritum quidquid super
his à quopiam quavis autoritate sulto scienter
vel ignoranter contigerit attentari. Ex quâ
clausulâ manifestè inferitur omnes Confes-
sarium secus operantium absolutiones fu-
turas non tantum illicitas, sed invalidas.

§. III.

Bulla Innocentij Duodecimi.

SUMMARIUM.

Disti Pontificis Bulla, n. 20.

Est valde proluxa, n. 21.

*Declarat reprobam à Paulo V. & alijs, opi-
nionem, quòd vi Cruciatæ possit quis ab omni
ubicumque approbato absolvi, n. 22.*

*Se motu proprio, & de Apostolica Sedis plenitu-
dine decernere, quòd Cruciatæ nil novi juris
induxerit, & comprehendit tam Saculares,
quam Regulares, n. 23.*

*Declarat Confessiones faciendas futuras invali-
das: & Confessores jure ipso suspensos, n. 24.*

*Omnem opinionem oppositam reprobam, ut perni-
ciosam, n. 25.*

Abolat omnem consuetudinem, ibid.

*Vetat sub excommunicatione sibi soli reservatâ,
ne quis tueatur contrariam, n. 26.*

*Tollit omnem à quocumque etiam expresse no-
minando facultatem aliter interpretandi, n.
27.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam,

N. 20. **C**Um, sicut non sine gravi animi no-
stri dolore ex nonnullorum Venera-
bilium Fratrum Episcoporum Regni
Portugalliae, & aliorum timorata conici-
entia virorum delatis ad Nos querelis ac-
cepimus, in Regno præfato revixerit, ac
in dies magis invalescat opinio per quas-
dam felic. rec. Pauli V. Urbani VIII. &
Clementis X. Romanorum Pontificum
Predecessorum nostrorum Constitutiones,
nec non plura Congregationum tunc exi-
stentium S. R. E. Cardinalium Concilij
Tridentini Interpretum, ac respectivè ne-
gotijs, & consultationibus Episcoporum,
& Regularium præpositorum Decreta du-
dum damnata, & reprobata, quâ innixi
plerique illarum partium privilegia, & in-
dulta per litteras Apostolicas pro Cruciatâ
Sanctâ emanatas, seu, ut vocant, Bullam

Cruciatæ, concessâ, ita intelligenda esse
existimant, ut facultas in litteris, seu Bul-
la hujusmodi Christi fidelibus attributa,
confitendi peccata sua cuilibet Confessario,
per quemcumque Ordinarium ad confes-
siones audiendas approbato, locum habeat,
& habere censeatur, etiam si is non fuerit
Ordinarius loci, in quo confessiones præ-
fatas excipi contigerit; hinc est, quòd
Nos ex debito Pastoralis officij, quod hu-
militer nostræ meritis licet, & viribus locu-
gè impari commisit divina dignatio, an-
marum periculis in re tanti momenti, que-
lis est sacramentalis confessio, quantum
Nobis ex alto conceditur, paternâ charita-
te occurrere cupientes, necnon Constituti-
onibus, & Decretis supradictis inhaeren-
tes, de Venerabilium fratrum nostrorum,
eiusdem S. R. E. Cardinalium, primum,
quidem supradictis negotijs, & consulta-
tionibus Episcoporum, & Regularium
præpositorum, tubinde verò etiam aliorum,
in totâ Republicâ Christianâ contra hære-
ticam pravitatem generalium Inquisito-
rum à Sede Apostolicâ specialiter deputa-
torum, qui opinionem præfata ex mæ-
gro examinarunt, remque totam mature
discusserunt, consilio, ac etiam motu pro-
prio, & ex certâ scientiâ, & maturâ deli-
beratione nostris, deque Apostolicæ pote-
statis plenitudine, tenore præsentium, de-
cernimus, & declaramus Bullam Cruci-
atæ Sanctæ nihil novi juris induxisse, nul-
lumque privilegium continere quoad ap-
probationem Confessariorum contra for-
mam ejusdem Concilij Tridentini, & præ-
dictarum Constitutionum Apostolicarum,
adeo ut Confessarii tam seculares, quam
Regulares, quicumque illi sint, in vim di-
ctæ Bullæ Cruciatæ à penitentibus ad au-
diendas eorum sacramentales confessiones
electi, nullatenus confessiones hujusmodi
audire valeant sine approbatione Ordina-
rij, & Episcopi Diocetani loci, in quo ip-
si penitentes degunt, & Confessarios eli-
gant, vel ad excipiendas confessiones re-
quirunt, nec ad hoc suffragari approbati-
onem semel, vel pluries ab alijs Ordinarijs
aliorum locorum, & Diocesium obtentam,
etiam si penitentes illorum Ordinariorum,
qui Confessarios electos approbant, sub-
diti forent; confessiones autem aliter, &
contra earundem præsentium, aliarumque
Apostolicarum Constitutionum formam
deinceps faciendas, & excipiendas respecti-
vè, præterquam in casu necessitatis in mor-
tis articulo, nullas fore, irritas, & invali-
das, & Confessarios ipso jure suspensos